



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvat̃is, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

171. Fer. 4. De reliqua vi donorum Spiritûs sancti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

300 *Feria 3. Domin. Pentecost.*

appetere suadeat, & reliquorum omnium  
contemptum. Claudam Meditationem  
Hymno sancti Spiritus.

MEDITATIO CLXXI.

*Feria 4. Domin. Pentecost.*

*De reliqua vi donorum Spiritus  
sancti.*

**A**spiciam reliquas hostilitates Spiritus ma-  
li, quas bonus extirpat, sicut ventus  
aërem corruptum, odor foetorem. Petam  
utrasque nôsse, ab illis erui, his repleri.

*Cons. 1.* Septem querelas Spiritus mali,  
quas hominibus proponit. 1. Legem DEI  
esse strictam, quia præcipit esse contentum  
modico necessario. 2. Gravem, quia præcipit  
grata cum moderamine rationis temporibus  
suis adhibenda. 3. Deformem, quia præ-  
cipit diligere humilitatem, & DEO omne  
bonum adscribere. 4. Duram, quia jubet  
renunciare voluntati propriæ. 5. Adversam,  
quia vitam nostram longam reducit ad con-  
siderationem brevitatis ejus. 6. Impossibi-  
lem, quia nimis latam ad saltandum. 7. Si-  
militer, quia nimis altam ad scandendum,  
ita apud D. Brigitt. lib. 3. cap. 22. & lib. I.  
cap. 47. Hunc Spiritus sanctus refutat dono  
Fortitudinis, cujus est magnanimitas, secu-  
ritas, magnificētia, patientia, longanimitas,  
perseverantia, constantia, *Cons.*

*Feria 4. Domin. Pentecost.* 301

*Conf. 2.* Quomodo spiritus malus corpus maliciã plenum conficiat; caput DEO rebelle, ventrem nimis voracem, os ad offensionem semper apertum, aures ad vocem Bonitatis Dei semper clausas, oculos ad dilectionem Dei cœcos, manus gryphis, quod acquirunt, nunquam dimittunt, nisi inviti, pedes semper à Deo recedentes. Hunc Spiritus sanctus septeno consilio evitare docet, 1. Cùm veneris in cacumen arboris, ne ramo arido sustentaris, seu casuris non innitendum. 2. Ne consilium recipias ab inimico: nihil est in mundo amicum. 3. Ne penas cor intra dentes leonis: mala est diaboli retributio. Non da corpori venenum pro cibo, nec spinas pro indumento, id est, à delicijs, & divitijs cor abstrahere. 5. Ne alienes possessori quod suum est, animam DEO, qui eam creavit, & redemit. 6. Da ei, qui tibi dedit, te DEO. 7. Da sanguinem pro sanguine, redde servitium ei, qui dedit vitam.

*Conf. 3* Quomodo spiritus malus septenis homines tenebris involvat, quia docet mundana, carnalia, fastum, pertinaciam proterviam, mutabilitatem animi, simulationem, tantãque ad malum inclinationem, ut etiam non tentatus labatur. Hunc Spiritus sãctus septenã luce dissipat: quia docet charitatem, patientiam, constantiam, nosse se,

302 *Feria 4. Domin. Pentecost.*

se, nôsse Deum, humilitatem, & sollicitè ambulare cum DEO.

*Conf. 4.* Reliquas nequitas spiritus mali, qui facit cæcum, dum indit hanc cogitationem: Deus redemit me Passione suâ, non me perdet, nec peccatum tam districtè iudicat: facit mutum, compeditum, manibus, pedibus, corde, dum vel impellit ad vicia, vel ad excessum in virtutibus, excusationem fragilitatis, tædium boni, oblivionem futurorum, &c. Huic spiritus sanctus opponitur septenâ sapientiâ, quia suadet coelestia, & futura non esse commutanda pro divitijs onerosis, honoribus mundi aëreis, delectabilitatibus carnis quasi somnijs, læticijs reliquis, quæ post se amaritudinem relinquunt, tutiora sequenda exemplo Sancti Sanctorum: quia via ad felicitatem est amor Dei, via ad ruinam neglectus Dei. Audiam Chrysostr. hom. in cap. 5. ad Galat. *Quoniam igitur tantâ vi est Spiritus, illi vivamus, illo contenti sumus:* Da tuis Fidelibus factum septenarium! quia: *cui adest Spiritus gratia, nihil deest,* inquit D. Ambros. in cap. 1. Luc.

MEDITATIO CLXXII.

*Feria 5. Domin. Pentecost.*

*De duodecim fructibus Spiritus sancti.*

Aspicia B